De usu

formularum non (modo) et non modo non — sed (etiam) et ne-quidem,

dissertationis specimen

scripsit

Dr. Ludov. Paul, Prof.

Thoruni, MDCCCL.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ex enuntiatis contrarie oppositis, quae dicuntur, (non — sed —) quaedam sunt enuntiatorum formae natae, quarum quum a communi consuetudine paullum recedere videatur logica ratio, mirum non est, quum praesertim libri mss. hic illic varias lectiones exhibeant, minus adhuc de iis constare virorum doctorum sententias. Quam ob rem iterata eum locum disputatione tractare hoc minus supervacaneum esse dixeris, quod ipsa est quaestio non solum ad cogitandi leges subtiliter perspiciendas fructuosissima, sed etiam ad quosdam apud scriptores latinos locos, in quibus vel dubia librorum lectio est vel minus certa interpretatio, feliciter expediendos necessaria.

Ac tria quidem maxime sunt, quae in disceptationem venire hoc loco soleant: primum, dicendumne sit „non — sed“ — an „non modo — sed —“; tum: „non — sed etiam —“, an „non modo — sed etiam —“; denique altera post non modo negatio addendane sit an abiicienda.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

I. De dicendi formulis

„non — sed —“ et „non modo — sed —“

1) In formula „**non — sed —**“ inest membrorum oppositio ejusmodi, ut priore sublato posterius in ejus locum substitutum appareat (conträrer Gegensatz). De quo usu quum nulla sit per se dubitatio, tamen jam in hac formula notionum, quae oppositae sunt, varia significatione variae efficiuntur enuntiatorum inter se rationes.

Primum enim fieri potest, ut diversae tantum sint notiones. Cujus generis quum permulta exstent exempla, unus prae aliis ad nostram quaestionem pertinet locus, cujus ab hac ipsa re repetenda interpretatio est, Cic. Mil. 4, 11. (lex) — quae non hominem occidi, sed esse cum telo hominis occidendi causa vetat. Quo loco quod in nonnullis libris additum legitur modo, id mira quadam, quae in vocabulis esset, fraude evenisse facile apparet. Etenim „esse cum telo hominis occidendi causa“ quum lege vetatur, videtur id sane aliquanto gravius esse, quam „occidi hominem“, ut adeo in promptu esset addere modo. Sed ab illo sensu longe aliena Ciceronis sententia est, qui simpliciter (quamquam, ut solet, callide) inter utramque notionem distinguit, quo ad eam, quam pro re sua adjuncturus est, legis interpretationem quasi viam sibi muniat.

Aliis locis significatione contrariae inter se notiones sunt. Cujus generis longe plurima exempla esse satis constat, ut afferre h. l. operae pretium non esse videatur.

Denique si in posteriore membro quod gravius sit indicatur, id partim ipsa vocabulorum significatione conspicuum est; velut Cic. Or. 1, 60, 254. Quanto facilius nos non laxare modos, sed mutare totos possumus. In hoc genere ponimus locum ab Ramshorn. (p. 832) allatum Sall. Jug. 14, 23. Non regnum, sed fugam, exsilium, egestatem et omnes has, quae me premunt, aerumnas cum anima simul amisisti. Hic modo neque addi neque subaudiri posse facile patet. Quod

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ramsh. quum vidit, sensum tamen non perspexit; si quidem ita statuit. „Genau genommen aber wird auch hier das erste Glied in seinem Verhältniß zum zweiten mehr bietenden ganz verneint." Nam quod in posteriore membro gravius quid inest, accidit id ipso vocabulorum sensu; logica utriusque ratio ad eam quam diximus contrariam oppositionem revocanda est; hic enim verborum sensus: „Du hast nicht das Reich verloren (— das wäre allerdings ein Unglück zu nennen —), sondern bist der Flucht u. s. w. aus dem Wege*) gegangen (— und das ist ein Glück! —)." Nec magis fieri potest, ut modo addatur Cic. Planc. 2, 5. Mihi autem non id est in hac re molestissimum, contra illum dicere, sed multo illud magis cet., in quibus verbis simplex hic sensus inest: Molestum mihi est contra Laterensem dicere, sed ea molestia augetur, quod cet. Apparet membra esse contrarie opposita, ita ut in posteriore quod gravius inest ipso vocabulo indicetur.

Quod si gravius illud in ipsis vocabulis non inest, disertis verbis significatur. E. g. Cic. Att. 2, 18, 1. Neque enim quo minus serviamus recusamus, sed mortem et ejectionem quasi majora timemus. (Nempe addit „quae multo sunt minora).

2) Non modo — sed —.

Haec primo adspectu mira videri potest particularum conjunctio. Nam quum particula sed prius membrum sublatum alterumque in ejus locum substitutum videatur, prius membrum, quum addito „modo" tanquam levius significetur, tamen aliquo modo juxta illud relinquitur. Ex hac autem difficultate primum prorsus exempti sunt illi loci, in quibus priori membro altera negatio addita est, ut posterius membrum sensum habeat contrarium. Hi plane recidunt ad oppositionem contrariam. Exempla minime rara sunt. Ut hoc primum afferamus, in quo „contra" etiam additum est. Cic. Fin. 1, 16, 50, quae non modo nunquam nocet cuiquam, sed contra semper allicit.**) Nec diversa alia exempla, etsi omisso contra. Coel. 20, 47, ut ea non modo solitudinem ac tenebras atque haec flagitiorum integumenta non

*) In Sallustii verbis figura grammatica est, quam ζεῦγμα vocant; certe quidem alia ratione dicitur „regnum amittere", alia aerumnas all. amittere.

**) De lectionis in hoc verbo varietate non attinet ad hunc locum quaestio.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quaerat, sed in turpissimis rebus frequentissima celebritate ac clarissima luce laetetur. Div. Caec. 9, 29. Non modo non adesse, sed esse cum Verre cet. Att. 11, 15, 2, non modo non cum magna prece, sed acerbissime scripsit. Rep. 2, 23, 43. Ipsum regale genus civitatis non modo non est reprehendendum, sed haud scio an reliquis simplicibus longe anteponendum. Fin. 3, 3, 11, non modo nihil adjuvare —, sed ipsam depravare naturam.

Nec minus aperta eorum locorum ratio est, ubi priori membro (non modo —) in posteriore opposita sunt vocabula totus, omnino, nihil, aliaque, quibus universitas quaedam indicatur. Hic quoque manifestum est, adverbio modo ipsam notionem tanquam leviorem significari („nicht etwa bloß"), negationi autem illam universitatem oppositam esse velut ad explendum, perficiendum, consummandum. Docent hoc exempla, qualia apud Liv. leguntur, 30, 30, non suae modo aetatis maximi duces, sed omnis ante se memoriae 30, 35. non proelio modo, sed bello victum 30, 27, quod non appellasset modo regem sed fecisset 311, 38 nec cogitaret modo imperaretque, quae in rem essent, sed pleraque ipse per se transigeret. Ex his difficile non est, alia ita explicare, ut pateat, quod de parte dicatur idem ad totum extendi, tamen ut illud hoc toto quasi absorberi videatur. Tusc. 1, 7, 13 non modo miserum, sed omnino quidquam esse. Fin. 5, 6, 16. Non modo quot fuissent adhuc — sed quot omnino esse possent sententiae. Or. 2, 43, 133. Reos appello non eos modo qui arguuntur, sed omnes quorum de re disceptatur. Tusc. 2, 21, 58. Omnibus rebus, non solum — dolori resistendum est, 3, 6, 13 nos autem audeamus non solum ramos amputare miseriarum, sed omnes radicum fibras evellere. Ibidem mox: non de aegritudine solum, — sed de omni animi perturbatione — explicabo*) Fin. 2, 28, 92. Consequatur summas voluptates

*) Operae pretium est conferre quod infra prope idem legitur addito „etiam" 3, 11, 24. Est igitur causa omnis in opinione; nec vero aegritudinis solum, sed etiam reliquarum omnium perturbationum. Apparet in illo esse operis non ab una parte absolvendi, sed plane consummandi significationem, ut parti totum oppositum sit, in hoc ad unam partem reliquas adiici.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

non modo parvo, sed per me nihilo: Tusc. 5, 9, 26. Quid non modo nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset?

Pergimus ad id genus exemplorum, in quibus posterius membrum simpliciter quod gravius sit continetur. Quo loco hoc imprimis tenendum constantissime est: quod priore membro dicitur, valere idem semper juxta illud quod posteriore continetur. Verum sicut in superioribus exemplis pars toto, ita in his minus majore ita quasi obtegitur atque obscuratur, ut nullum in numerum veniat. Est autem duplex horum exemplorum genus, unum in quibus notionum quaedam similitudo est. Velut Liv. 40, 12, init. non insidiatoris modo sed latronis manifesti et percussoris. Cf. idem 31, 7, med. 32, 5 init. 33, 33 med. 45, 2, 5 extr, Non modo spem tibi, sed prope certam fiduciam praebet. Et permultis aliis locis. Fin. 5, 1, 2 non memoriam solum mihi afferunt, sed ipsum videntur in conspectu ponere. Parad. 5, 2, 36. Ego vero istum non modo servum, sed nequissimum servum — appellandum puto. Fin. 2, 24, 79. Ita fit illa conclusio non solum vera, sed ita perspicua, ut dialectici ne rationem quidem putent reddi oportere. Div. Caec. 4, 14, hoc non modo a me petitum, sed ita saepe et ita vehementer esse petitum etc. — Rep. 2, 11, 21. Viderisne unius viri consilio non solum ortum novum populum neque ut in cunabulis vagientem relictum, sed adultum jam et paene puberem? — Att. 8, 12, 2. Nihil praetermissum est, quod non habeat sapientem excusationem, non modo probabilem*). — Quod si Cicero Fin. 5, 19, 51 habet: esse utilitatem in historia non solum voluptatem, dubium non est, quin voluptatem in numero fructuum posuerit, qui ex historia percipiuntur. Aliis locis, etsi obscurior notionum similitudo videtur, tamen ad unum utraque genus referri possunt. Or. 1, 48, init. Non solum quod ea requiruntur a me, quorum sum ignarus atque insolens, sed quia quod in causis valde fugere

*) H. l. sed omissum est, nimirum propter praemissum cum magna vi posterius membrum. Cf. Acad. 2, 29, 93. Per me vel stertas licet, non modo quiescas. Nec minus tamen etiam in consueta membrorum collocatione sed nonnunqam omittitur. Phil. 7, 7, 20. Nec solum fidem meam, quod videtur satis esse (sed in principe civi non est satis), curam, consilium, vigilantiam praestabo.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

soleo, ne tibi, Crasse, succedam, id me nunc isti vitare non sinunt (communis notio difficultatis). Fin. 5, 17, 46 ut non solum quia nos diligamus, sed quia cujusque partis naturae et in corpore et in animo sua quaeque vis sit, idcirco summa nostra sponte moveamur (communis notio est: „ratio liberae quae in homine est voluntatis," Begründung der freien Selbstbestimmung). — Acad. 4, 2, 10. Nec vero ineunte aetate solum, sed et pro quaestore aliquot annos, et in ipso bello etc. Loc. Coel. 20, 49, qui in eodem enuntiato habet „non modo — sed" et „non — sed etiam" reservamus ad caput alterum. — Att. 13, 21, f. Accedit enim quod patrem — plus etiam, quam non modo tu, sed quam ipse scit, amo. — Fam. 1, 9, 8. Neque vero hac in causa modo, sed constanter saepe in senatu etc. — Fam. 1, 9, 20. Exarsi non solum praesenti, credo, iracundia — — —, sed quum inclusum illud odium multarum ejus in me injuriarum, quod ego effudisse omne arbitrabar, residuum tamen, insciente me, fuisset omne, repente apparuit („nicht bloß augenblickliche Aufwallung, sondern lange verhaltener Groll).

Nonnunquam gravius illud in posteriore membro forma gradus comparativi, qui in grammatica dicitur indicari solet. Fin. 1, 20, 65. Neque vero hoc oratione solum, sed multo magis vita et factis et moribus comprobavit. Tusc. 2, 4, 11: fortes non modo fortuna adjuvat, sed multo magis ratio. Or. 1, 62, 264: verum ego non solum arbitrabar, his praesertim audientibus, a me informari oportere, qualis esse posset is, qui —: sed majus quiddam videbam, quum etc. etc. Quo loco quod Schütz talem legendum conjecit pro solum, non solum necessaria non est (ut Orell. dicit) mutatio, sed prorsus aliena. Senect. 4, 2: nec vero ille in luce modo magnus; sed intus domique praestantior. („Er war nicht etwa bloß — sondern — noch ausgezeichneter).

Apparet in his exemplis facile subaudiri etiam quippe latens in comparativo, quemadmodum additum, nihil mutato sensu, legitur Fin. 1, 16, 54 et multis locis. Idem autem in aliis quoque locis fieri potest. Itaque Acad. 4, 24, init. „videorne tibi non ut Saturninus nominare modo illustres homines, sed imitari nunquam nisi clarum, nisi nobilem" si qui libri sed etiam exhibent, ad sensum quidem nihil interesse videtur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Restat ut de eo exemplorum genere agatur, in quibus non a minori ad majus procedi sed a majori ad minus descendi videtur. Cujus loquendi usus ratio inde repetenda est, quod in omnibus qui huc pertinent locis, sensus totius enuntiati negationem habet, quo nimirum fit, ut majoris et minoris ratio permutetur; gravius enim est negari id, quod minus est, quam quod majus. E. gr. Or. 3. 14, 52. Neque eum oratorem tantummodo, sed hominem non putant. Ibid. 1, 30, 136 quod enim neque — — assequi potui, ut — non modo videre, sed suspicari liceret, etc. Facile patet, in his enuntiatis non modo prorsus redire ad significationem formulae non dicam.

Nec alia ratio est in hypotheticis et interrogativis enuntiatis iis, quae ipsa structurae forma negationis sensum prae se ferunt Att. 3, 15, 4: quod si non modo tu, sed quisquam fuisset etc. Verr. 1, 3, 9: quod si non modo in causa, verum in aliquo honesto praesidio spem collocasset, etc. Fam. 5, 16, 4: quis est enim jam non modo pudori, probitati, virtuti, rectis studiis, bonis artibus, sed omnino libertati ac saluti locus? Manil. 22. Quae civitas est in Asia, quae non modo imperatoris aut legati, sed unius tribuni militum animos ac spiritus capere possit? Div. Caec. 8, 27: quo tempore aut qua in re non modo specimen ceteris aliquod dedisti, sed tute tui periculum fecisti? Ibid. 18, 59: quid habes, quod possis dicere, quam ob rem non modo mihi, sed cuiquam anteponare? Inde alia exempla explicanda, quorum similis ratio. Velut, Rep. 3, 10, 17: genera — non modo in tot gentibus varia, sed in una urbe, vel in hac ipsa, millies mutata. Minus enim mirandum, leges atque jura in multis gentibus mutari, quam in una urbe. Cic. Quinct. 24, 77: mihi perdifficile esse contra tales oratores non modo tantam causam perorare, sed omnino verbum facere conari. Cat. 2, 12: cujus ego non modo factum, sed inceptum conatumve contra patriam deprehendero etc.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

II. De formulis

„non — sed etiam —“ et „non modo — sed etiam“

1) **„Non — sed etiam —“** Conferri haec particularum compositio quodammodo potest cum ea, de qua modo egimus, „non modo — sed —“. Nam ut in illa formula prius membrum juxta posterius relinquitur, quum opposito sed tolli videatur: sic in hac, prius membrum quum simplici negatione sublatum sit, tamen addito in posteriori „etiam“, (si quidem ea particula accessionem indicat), retineri idem videtur. Sed hoc, quod posuimus, simile non claudicat, ut solent similia, sed locum omnino non habet. Etenim quum sequente in altero membro significationis incremento fieri utique possit, ut in priori „modo“ addatur, quo illud tanquam levius juxta positum appareat („non modo — sed —“), contra si quis velit posterius membrum tanquam gravius juxta prius ponere, omittere „modo“ nisi violatis cogitandi legibus non potest. Itaque non dubitamus sic statuere: in formula „non — sed etiam —“ prius membrum haudquaquam juxta posterius positum relinqui, sed omnino tolli.*) Satis enim nota res est, particulam „etiam“ non simpliciter accessionem indicare, sed accessionem cum quadam sensus intentione conjunctam; inde fit ut singulari vocabulo additum ad adverbii vim recidat**) Ita cum comparativo conjunctum respondet germanicae particulae „noch“. In hoc genere luculentus est locus Auct. Herenn. 4, 14, 20. Traductio est, quae facit, ut quum idem verbum crebrius ponatur, non offendat animum, sed etiam concinniorem orationem reddat, „das Eigenthümliche der Figur besteht darin, daß die Wiederholung desselben Ausdrucks nicht unangenehm erscheint, sondern die Concinnität der Rede noch fördert.“ Quo loco quod in editt. legitur „non modo non offendat“ interpretamentum insertum est minime illud quidem

---

*) Minus etiam, quam in priori capite; probabilis de hoc loco Ramshorn. Ratio est: „in sofern als es (das erste Glied) gegen das zweite mehr und Größeres bietende wenig in Betracht kommt.“ Immo omnino negatur.

**) Haec eo quoque confirmatur ratio, quod „non — sed — quoque“ nusquam legitur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

necessarium, sed quo ipso nostra ratio (contra Ramsh.) mirifice confirmetur; sensus enim idem sane est; ut prius membrum minime juxta alterum relictum appareat. Neque aliter accipiendus locus Off. 2, 20, 70 neque vero verbis auget suum munus, si quo forte fungitur, sed etiam extenuat. Apparet verbum extenuat comparativi sensum habere: „er verkleinert es noch."

Alliis locis „etiam" cum singulari notione conjunctum est fere „sogar" „selbst". Qui sensus non est aut dubius aut obscurus Att. 6, 2, 3. Peloponnesias civitates omnes maritimas esse hominis non nequam, sed etiam tuo judicio probati, Dicaearchi tabulis credidi; „nicht verwerflich, (quod hoc loco in laude ponitur), sondern selbst nach deinem Urtheile glaubwürdig". Opponuntur: non nequam et probati, etiam autem cum „tuo judicio" conjunctum est. Balb. 4, 10: cui senatus — amplissimae dignitatis praemia dedit non postulanti imperia, verum etiam recusanti, — opponuntur: non petenti et recusanti, quod quum gravius esset, addi facile potuit etiam. Acad. 4, 2, extr.: qui mihi videntur non vivis, sed etiam mortuis invidere. Hic Orell. (contra Ramshorn) „modo" inseruit, codices aliquot secutus. Nos necessariam particulam non arbitramur; revera enim illi homines vivis non invident; quamquam, si quis velit, possit etiam ita interpretari, ut qui talia reprehendant, ipsi etiam Ciceroni invidere eos dicat. Addimus locum Coel. 20, 49, „si denique ita sese gerat (non nupta mulier), non incessu solum, sed ornatu atque comitatu, non flagrantia oculorum, non libertate sermonis, sed etiam complexu, osculatione, aquis, navigatione, conviviis, ut non solum meretrix, sed etiam proterva meretrix procaxque videatur." Hic primum: non modo — sed —; nam incessus per se quiddam meretricium indicare videri potest, quod illa mulier quum minime vitet, ornatu vero et comitatu meretricio rem extra omnem dubitationem videtur ponere velle. Postea quod Cicero dicit: „non — sed etiam —; mirificam quandam conviciandi vim, satis illam etiam ex aliis locis cognitam ostendit, de qua haud scimus an plurimum detractum foret, si dixisset „non modo". Hoc enim significat: flagrant. etc. sibi nullo in numero habenda videri nec operae pretium esse talia in ista muliere vituperare, nisi eo usque procedat, ut etiam complexu etc. etc.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Sed ea ratio minus perspicua est in alio Ciceronis loco, quem eam ipsam ob causam interpretes tam leviter, ut fere fecerunt, expeditum arbitrari non oportuit, Nat. D. 2, 64, 162. Nec vero supra terram, sed etiam in intimis ejus tenebris plurimarum rerum latet utilitas. Est haec quidem constans librorum mss. lectio, quam editiones recentiores receperunt; et Heindorf. quidem (ad e. l.) simpliciter negat usum sermonis requirere, quod in Vict. Manut. Lamb. receptum est „nec vero — tantum". Quod haud scimus an minus considerate statuisse videatur. Etenim quum figurae, de qua in superiore exemplo egimus, locus hic nullus esset, non potuit Cicero prius membrum aut omnino negare, aut negato atque adeo sublato alterum (sed etiam —) cum intentione oppsnere. Nam ne illud quidem afferri h. l. potest, quod priore membro continetur esse id minoris momenti quam quod posteriore; contrariam potius rationem esse, et Cicero significavit, qui, quum rerum quae supra terram essent incredibilem copiam ac varietatem accuratissime persecutus esset, de ea utilitate, quae „in intimis terrae tenebris latet" ne verbum quidem addit, — et vero res ipsa docet. Itaque in lectione nunc recepta Ciceronis manum nos quidem agnoscere non possumus, sed vel „tantum" vel „solum" putamus inserendum esse, quemadmodum mox (§. 164.) Nec vero universo generi hominum solum, sed etiam singulis etc. etc.

Unum in hoc capite genus exemplorum restat eorum, in quibus „non solum" in priore membro omissum videtur, quum sequatur „sed etiam". Ex hoc genere laudatur Att. 10, 16, f. Tu, quoniam quartana cares, et novum morbum removisti, sed etiam gravedinem etc. etc. Ita libri mss.; nam quod in duobus codd. legitur nedum pro novum, licet fortasse corruptelae in hoc vocabulo vestigia quaerere, ipsum quidem vocabulum ab h. l. alienum esse, satis apparet. Nam ne illud quidem conferri recte potest quod Balbus (Att. 9, 7, A. init.) ad Ciceronem scribit „Nedum hominum humilium, ut nos sumus, sed etiam amplissimorum virorum consilia ex eventu, non ex voluntate a plerisque probari solent"; cujus loci longe alia ratio est, non solum, quod Balbus ista scribit, non Cicero (quod Orelli recte monet), sed etiam quod multo gravius ibi humiles homines amplissimis viris opponuntur, et est denique epistolae initio quaedam venia habenda, ut pro vulgari „non modo" positum videatur „nedum", geschweige, quasi si de illis res dubia non sit. Itaque Orelli hunc locum unum dicit esse ex iis, ubi „non modo" vel

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

a Cicerone ipso, vel, quum per compendium scribi coeptum esset, a librariis omissum esset ante „sed etiam“. Nos vero in adjectivo novum vestigia adverbii „modo“ latere non dubitamus contendere. Primum enim modo (vel aliud simile adverb.) deesse h. l. non potest. Nam si vel maxime „sed etiam“ simpliciter ad sensum particulae „immo“ transire velimus concedere, nostro loco absurde plane foret cum tanta vi intentionis opposita novo morbo notio „gravedo“. Porro quod Orell. novum morbum interpretatur *δυσουρίαν* quae 10, 3 commemoratur, et intelligit novas tentationes (in sequ. ep. §. 2.); concidit ea opinio, si *δυσουρίαν* ipsam gravedinem illam dici statuimus, e quartana fortasse natam, certe quidem ea remota exortam. Itaque legendum h. l. „et non modo morbum etc.

Ex aliis locis quae afferri in hoc genere solent (vid. Garat. ad Philipp. 13, 8, f. n.) prorsus huc non pertinet Auct. ad Herenn. 4, 23, 33. „Hereditas aliqua venit? Non potest dici; sed etiam a necessariis exheredatus est.“ Hic omnia sana sunt, nec tamen quidquam ante „sed etiam“ subaudiendum. Non et sed simpliciter sibi respondeat, etiam (sogar) jungendum cum „a necessariis“. Eadem ratio Or. 2, 52, 209. Invidentur autem homines maxime paribus, aut inferioribus, quum se ——; sed etiam superioribus invidetur saepe vehementer; opponuntur „maxime paribus et superioribus saepe vehementer“, „etiam“ indicat novum aliquid et gravius opponi. Huic simillimus locus Fam. 13, 64 extr. Hoc in genere si eum adjuveris eo studio, quo ostendisti, apud ipsum praeclarissime posueris, sed mihi etiam gratissimum feceris. Manifestum est, non subaudiendum in priore membro esse „non solum“ (quod Orell. nimis facile Garatonio concedit), sed, si quid omnino supplere velis, „quidem“ vel simile aliquid ipsum per se occurrere. Nec diversa, etsi non eadem ratio est Att. 5, 21, 6. Q. Volusium, tui liberti generum, certum hominem, sed mirifice etiam abstinentem etc. Quippe non omnes homines, qui certi ad negotia quaedam agenda videntur esse, solent iidem abstinentes esse, ut adeo in peculiari istius hominis commendatione Cicero merito ponat „aber dabei auch ehrlich“, h. e. qui primum negotium cum fide persequatur, deinde lucrum inde facere non studeat. Contra Att. 4, 16, 10. Amisimus — omnem non modo succum ac sanguinem, sed etiam colorem et speciem pristinam civitatis, recte in edd. non modo additum est; nam in posteriore membro metaphora

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

prioris cum intentione retinetur. Singularis locus est Att. 3, 15, 5. Hic mihi primum meum consilium non defuit, sed etiam obfuit. Codd. h. l. nonnulli „non modo“ addunt; qui si legunt. „Hic mihi primum non modo consilium“ etc. etc. recte Orell. monet omissum „meum“ vehementer offendere; sed latius videmur progredi posse; omnino enim videtur absurda sententia esse, quum quis dicit, quod sibi defuisset consilium, idem obfuisse. Nos, si quid omnino inserendum est, simplicem negationem admittimus: Hic mihi primum meum consilium non defuit, sed etiam obfuit. Verum haud scimus an etiam omissa negatione sententia liberiore quidem sed satis concinna ratione procedere videatur: hic mihi primum meum consilium — defuit? (minime) sed (quod fuit) etiam obfuit. H. e. „Non ego omni quidem consilio destitutus fui, sed quae facere instituebam, ea quam perniciosa essent, postea re ipsa sensi.“

2) „Non modo — sed etiam —“

Haec formula per se perspicua ita est, ut copiosius de ea disputandum non videatur; nam quod distinguitur in priore membro inter modo, solum, tantum, in posteriore inter sed et verum, inter etiam et quoque, est id ad discrimen quo omnino ea adverbia inter se differunt, referendum. Quamobrem quum de consueto hujus formulae usu quaestionem praetermittere h. l. facile posse videamur, operae pretium est, aliquot locos afferre, in quibus illa ipsa a majore ad minus descendi dici solet. Cujus usus ratio eadem est quam supra in formula non modo — sed exposuimus (1, 2, extr.), quippe illa a negativo sensu omnium, quae huc pertinent, enuntiatorum repetenda. Etiam abit in significationem „auch nur“. Att. 2, 18, 2. Spes ut nulla sit, aliquando non modo privatos, verum etiam magistratus liberos fore, h. e. non satis erit, privatos liberos non esse, nisi etiam magistratus oppressi tenentur. Verr. 2, 2, 66, 161. Atque ego hoc non vereor, ne quid horum non modo impulsu, verum omnino adventu meo factum esse videatur. Omnia ista ante facta sunt, non modo quam ego Siciliam, verum etiam quam iste Italiam attigit. In priore enuntiato negatio manifesta; in posteriore latet in „ante — quam —“, quo indicatur, tempus non convenire.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Mil. 2, 5. Spem nullam esse habituros Milonis inimicos ad ejus non salutem modo extinguendam, sed etiam gloriam — infringendam. Div. Caec. 10, 31. Qualis erit ista tua accusatio, quae — — certissimi et maximi criminis non modo suspicionem, verum etiam mentionem ipsam erubescat? (Quippe in verbo erubescat fugiendi, vitandi significatio est.) Orat. 1, 1, — — et suscipere tantam rem, quantam non modo facultate consequi difficile esset, sed etiam cogitatione complecti, vix arbitrabar ejus esse, qui etc. etc. Fin. 2, 19, 25. Semovenda est voluptas, non solum ut recta sequamur, sed etiam ut loqui deceat frugaliter. Haec verba leviter inspicienti negativum sensum exhibere non videntur. Sed inest nihilo minus. Etenim duplex affertur, cur semovenda voluptas sit, ratio. (Quae simplex esset, si Cic. scripsisset: ut non modo etc. etc.; sed eam sententiam ineptam futuram fuisse patet). In his rationibus inest cohortationis vis quaedam, ne recusetur molestum utique officium, eaque vel major, vel minor, prout ipsa est ratio vel propius posita, vel remotior. Constat autem, quanto loqui quam agere facilius videtur ac propius positum homini vel levius de virtutibus judicanti, tanto graviorem esse rationem, officium ne quis recusare velit, eam, quae a loquendi decore, quam quae a rectis in agendo studiis repetitur. Tusc. 2, 17, 41. Quis non modo stetit, verum etiam decubuit turpiter? Negatio in interrogatione est; scil. „nemo". Res ita perspicua fit, si interrogationis loco cogitaveris relativam enuntiationem: „qui non modo etc. etc." qua sententia nihil absurdius esse apparet. Itaque in ejusmodi enuntiatis etiam per se quoque eandem significationem habet, ut ad minus descendi indicetur „auch nur". Legg. 1, 19, 5. Erubescunt pudici etiam loqui de pudicitia. Erubescere idem est atque fugere, vitare. Quamquam vix opus est tali exemplo ut demonstretur, minus accurate Zumptium dicere „wenn man herabsteigt vom Größeren zum Kleineren, sagt man gewöhnlich sed ohne etiam" Etiam in hypothetica enuntiatione, quae negativum sensum habet: Fam. 15, 6, 1. Et si non modo omnes, verum etiam multi Catones essent in civitate nostra etc. etc.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

III. De negatione in posteriore membro vel addenda vel abjicienda.*)

Omnino mirum videri debet, dici unquam ulla lingua „non modo“ pro „non modo non“; negationis enim ea vis est, ut subaudiri per se non possit. Nisi vero recte dici putemus sapere, qui cogitandus sit insipiens, aut res certa quae incerta. Nam quod additum est „modo“, non potest in eo ulla ratio posita esse, cur negationem mente addere liceat. Quod si nihilo minus latina verba in germanica transferentibus haud raro in priore membro negatio, quae deest, addi debet, causa est partim in diversa loquendi consuetudine posita, qua negativae particulae in verborum ambitu collocatio constituitur, partim in peculiari quodam usu adverbii „modo“. Jam exempla, quae maxime huc pertinent, singula examinemus.

*) De hoc loco qui egerunt vide laudatos apud Ellendt. ad Cic. de Or. 1. 30, 136.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

1) In formula **non modo — sed etiam.**

Initium facimus a loco, qui, quum afferri soleat, ut in quo „non modo“ positum sit pro „non modo non,“ (ipsi etiam libri mss. aliquot negationem addunt), ad nostram rationem probandam maxime idonens videtur esse. Tusc. 2, 5, 14. quae (sc. dedecus, flagitium cet.) ut effugias, quis est non modo recusandus, sed non ultro appetendus, subeundus, excipiendus dolor? Est haec usitata interrogationis forma, in qua ipsa iam responsio insit negativa, ut sensus non alius sit, quam: „nullus est non modo recusandus cet. cet.“ Quod haud scimus an ita manifestum fiat, si fingamus interrogationem veram, ut ita dicamus, esse et responsum exspectari; apparet ita negationem in posteriore membro locum habituram non esse, in priore necessariam fore: „quis est non modo non recusandus, sed ultro appetendus dolor? Nec minus perspicua ratio Acad, 4, 19, 62. Quod non modo recte fieri, sed omnino fieri non potest, ubi quum recte fieri et omnino fieri opposita sibi sint, non potest ad utrumque pertinet. Cf, Tusc. 1, 7, 13. non modo miserum, sed omnino quidquam esse cet. 5, 9, 26, Quid non modo nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset? Divinat. Caec. quo tempore aut qua in re non modo specimen ceteris aliquod dedisti, sed*) tute tui periculum fecisti? Hic quoque locus propter negativum sensum negationem alteram non fert; quum addi necesse esset, si fingeres enuntiationem relativam esse. Memorabilis in hoc genere locus est Lgg. 3, 5, 12. Quae res quum sapientissime moderatissimeque constituta esset a maioribus nostris, nihil habui sane, non modo multum, quod putarem novandum in legibus. Hic non pauci interpretes ediderunt nihil habui, sane non multum, facili, ut videri potest, mutatione, et quae enuntiati formam satis commodam faciat. Sed eam emendationem quominus admittere liceat, impedit manifesta quae in his verbis inest

*) Quod in his exemplis etiam omissum est, nihil attinet ad hanc quaestionem.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

allusio ad id, quod Quinctus supra dixerat: „etsi a te paullum allatum est novi“; quae verba Cicero causa allata confirmare et cum intentione confirmare potest (nihil habui sane cet.), simpliciter repetere (sane non multum) non potuit, nisi ineptire orationem suam vellet. Est autem sensus huius enuntiati in universum minime dubius. Quod ais, inquit Cicero, paullum a me allatum novi esse, minime id mirum est, quod ea res sapientissime moderatissimeque constituta a maioribus nostris erat; — immo nihil habui sane, quod putarem novandum in legibus, nedum ut tu desiderare videris, multum. Quaeritur, qui is sensus in verbis inesse possit. Nam neque „non“ aut inserendum aut subaudiendum arbitramur, neque „non modo“ per se potest idem esse atque „nedum“. Restituamus sententiarum ordinem, qui a Cicerone inversus est: „Non modo multum, sed nihil habui sane, quod cet. cet. Hic primum illud apparet, ne potuisse quidem Ciceronem dicere „non modo non multum“, ita enim quiddam tamen habuisse concederet, id quod ab eius animo alienum fuit. Nimirum negatio cum verbo „habui“ iungi debuit, fere: „non modo multum non habui, sed nihil“. Iam vero quum verbum in fine positum sit, negatio, quae in “nihil“ est, facile etiam ad commune praedicatum trahitur. Nec alia rei ratio est in eo, quem Cicero instituit, membrorum ordine, ut ex praecedente „nihil habui“ negativum praedicatum etiam ad „non multum“ trahatur. Denique, si quid subaudiendum est, non simplex negatio, sed „non habui“ mente suppler potest; hinc fit, ut, si brevitatem orationis eandem, quam Cicero, sequi velimus, „non modo“ in germanicam linguam translatum reddi facile possit „geschweige“ (nedum).

Adiungimus quosdam locos ab Ramshorn. allatos. E quibus non nimis impeditus est, quem laudat Phil. 3, 13, 33. Nullum tempus — dimittam — —, quin de dignitate vestra quod cogitandum sit, cogitem, quod agendum atque faciendum, id non modo recusem, sed appetam etiam atque deposcam. Hic si qui putaverunt „non modo“ positum esse pro non modo non, quantus is error sit, ex ipso sensu apparet. Etenim si Cicero dixisset „Nullum tempus dimittam, quin — non modo non recusem, quoniam „non modo“ ad sequentem formulam „sed etiam“ pertinet, sensus foret: Nullum tempus dimittam, quin non recusem, quod plane con-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

trarium esset ei, quod dicendum fuit. Itaque recte negatio omittitur, nec tamen ideo „non modo“ positum pro „non modo non“ existimari potest.

Nec difficilior ratio Div. 1, 55, 124. Mihi — ad hoc, de quo disputo probandum satis est, non modo plura, sed etiam pauciora divine praesensa et praedicta reperiri. Nam et illud satis perspicuum est, quam absurda sententia futura fuisset, si Cicero dixisset: „non modo non plura“, (manifesto enim dicere vult plura quidem reperiri, sed sibi satis esse, h. e. se requirere, desiderare cet.) et sensus minime obscurus: auch schon weniger Fälle der Art sind mir zum Beweise hinreichend. Res ita se habet: „satis est“ habet vim determinandi; ex quo consequitur, ut „non modo — sed etiam, quum descendere ad minus videatur, re vera ad maius progrediatur; gravius enim est contentum paucioribus esse quam pluribus. Quod Ramsh. h. l. animadvertit „Wo das Wenigere nicht ist, kann das Mehrere nicht sein“ per se quidem mirum in modum est vere dictum; ad locum illum explanandum quo modo pertineret, nos quidem intelligere non potuimus. Contra Cicero plura reperiri minime vult negatum a se, sed etiam pauciora sibi sufficere indicat.

Porro apud Ramsh. citatur Liv. 21. 10. 12. Inde tantus terror pavorque omnes occupavit, ut non modo alius quisquam arma caperet, aut castris pellere hostem conaretur, sed etiam ipse rex, sicut somno excitus fuerat, prope seminudus — — ad flumen navesque perfugerit.“ Possis hoc loco pro „quisquam“ positum exspectare „nemo“. Sed Livius ita locutus est, quasi si haec forma enuntiali esset: „ut non modo alius quisquam, sed ne rex quidem arma caperet“. Iam vero regem minus convenire videbatur dici „arma capere“, sed omnino „resistere conari“, quo aliquanto etiam gravius fuit, dici eum turpi fuga salutem quaesivisse. Itaque in priore membro, etsi praedicatum singulare addi debuit, tamen satis visum est indefinito pronomine „quisquam“ (in quo per se iam negativus sensus inesset, qui etiam disianctivis particulis „aut — aut“ indicatur) negationem significare. Si velis, ad ἀνακολουθίαν, quam grammatici dicunt, referas; sed est ex levissimo genere eius

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

structurae et cujus per se facile pateat ratio. Quem autem Ramsh. in eodem genere ponendum esse locum dicit, Agrar. 2, 20, 54. „Neque in hoc solum inest contumelia, quae vehementer — — —, ut ulla res parta bello nondum legibus datis — — non modo venierit, verum locata sit“ nullam in eo nos quidem similitudinem reperire possumus; nam „ulla res“ quod Cicero dixit, non potuit aliter propter negativam naturam totius enuntiati, „Neque in hoc solum cet. cet; in sequentibus autem „non modo venierit, verum locata sit, nihil prorsus est, quod offendat, aut conferri cum Liviano loco posse videatur.

Postremo loco ponimus exemplum sane singulare ob eamque rationem a plurimis grammaticis citatum, Varr. L. L. 8, 2. Nunc iam primum dicam pro universa analogia, cur non modo videatur esse reprehendenda, sed etiam cur in usu quodammodo sequenda“. Quem locum plane mirum est quemadmodum Ramsh. simpliciter expedire sibi visus sit his verbis: „nicht non esse reprehendenda, denn sequenda setzt schon das Tadelnswerthe voraus.“ Proinde quasi ullius enuntiati, quod hanc formam habet: non modo non — sed etiam non eadem ratio esse necessario debeat. E. gr. Att. 11, 6, 1. — „non modo non minuitur, sed etiam augetur“ nonne in: „sed etiam augetur“ inest ea vis, ut non minui prius dicatur? Fin, 1, 19, 62. Non modo non repugnantibus, verum etiam approbantibus nobis.“ Sed innumeri in eo genere loci afferri possunt, in quibus omnibus, si Ramsh. sequamur auctorem, „non“ in priore membro delendum censeamus, quod in posteriore negatio prioris manifesta est, videlicet ob particulam, „sed etiam“ necessaria. Quid igitur faciendum loco Varroniano? Nempe aliud quoque in illis verbis est, quod molestum videri debeat, quod, quum cur initio positum esset, ante „non modo“, tamen in posteriore membro repetitam eam particulam legimus. Exspectamus aut: „non modo cur — sed etiam cur“ aut: „cur non modo — sed — sequenda cet.“ Itaque omnino corruptus videtur locus esse. Hoc quidem contendere non dubitamus, „non modo non“ legendum omni modo esse, quod in affirmativo enuntiato

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

(quale illud est) omissa negatione non potest sensus non affirmativus esse, id quod et ratio docet et exempla omnia confirmant.

2) In formula: **„non modo — sed ne — quidem.“**

Hic „non modo“ in priore sententiae parte dici, si commune utriusque membri verbum, idque in posteriore membro collocatum est, „non modo non“ si diversum aut in priore membro positum, satis cognita ac trita grammaticorum doctrina est. Sed ne in hac quidem formula vere dici unquam potest, „non modo“ positum pro „non modo non“. Rectius illi, qui dicunt negationem a posteriore parte ad priorem quoque trahendam esse, ut „ne — quidem“ pro „etiam non“ dictum videatur. Nam etsi latine in huius modi enuntiatis nemo facile dixerit „etiam non“ certo tamen in germanicam linguam transferentibus quam saepe „ne — quidem“ ita vertendum sit („auch nicht“), nota res est. Verum hoc quoque addendum, priori membro negationem addi in huiusmodi enuntiatis non posse, nisi violata lege illa, quae in latino sermone ubique constantissime observatur, de collocatione negationis, ut illa poni non possit nisi ante eam notionem, quae negatur. Itaque ubi ad praedicatum pertinent, ponenda ante praedicatum est, cum alio vocabulo coniungi non potest. E. gr. Cic. Cat. 2, 9, extr. „ut iam ista non modo homines, sed ne pecudes quidem mihi passurae esse videantur.“ Hic „non modo non homines,“ dici nullo pacto potuit; negatio enim ad verbum pertinet, ita ante illud poni debuit, et est in „ne — quidem.“ cf. ib. 10, 21, sed ita, ut non modo civitas, sed ne vicini quidem proximi sentiant.“ Tusc. 4, 38, 84. non modo beati, sed ne sani quidem esse possumus. Att. 2, 9, 1. — non modo de cynico consulari, sed ne de istis quidem piscinarum Tritonibus poterit se iactare“, si dixisset „non modo non de cynicis cet.“ addendum foret, quod cynico consulari oppositum erat, de quo utique iactare se posse diceretur. Att. 11, 24, 1. „quod mihi non modo irasci gravissima iniuria accepta, sed ne dolere qui-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

dem impune licet." Hic si additum fingamus „non" in priore membro, efficiatur: quod mihi non modo non irasci — licet," h. e. (quoniam particulis „non modo" respondent „ne — quidem") quod mihi licet non irasci; — apparet, quam absurde hoc dictam foret. Etiam in transpositis sententiae partibus: Liv. 25, 15, 2. Campani legatos miserunt, qui nuntiarent, ne Tarentum quidem, non modo arcem („nicht etwa bloß die Burg, sondern auch Tarent nicht") tanti debere esse. Tusc. 1, 38, 92. Ne suos quidem id velint, non modo ipse.

Contra quam necesse fuerit addi negationem in priore membro, si in eo ipso verbum est, quod negatur, neque demonstratione, neque exemplis indigere videtur. Immo etiam in iis enuntiatis addi debet, ubi, cum verbum finitum commune sit, opponuntur tamen praedicata, quorum utrumque per se negatur. Parad. 2, 17. Mihi vero quidquid acciderit in tam ingrata civitate, ne recusanti quidem evenerit, non modo non repugnanti;" — ubi, qui „non" omiserunt, elegantiam persecuti sunt, cuius iis ratio non satis perspicua esset. Itaque etiam in iis enuntiatis, quae commune habent praedicatum, sed illud in priore parte positum, additur nimirum negatio, quae ad ipsum verbum pertinet. E. gr. Att. 1, 11, 1. Sed quum omnia fecissem, non modo eam voluntatem eius, quae fuerat erga te, recuperare non potui, verum ne causam quidem elicere immutatae voluntatis. Att. 10, 4, 4. „Non modo res gestas non antepono meis, sed ne fortunam quidem ipsam."

Peculiaris ratio eorum est enuntiatorum, in quibus verbi finiti affirmativa notio est, ut negationis vis ad aliud vocabulum pertineat, quod Formula, „ne — quidem" praecedenti vocabulo opponitur. Apparet ibi negationem ante prius vocabulum, si quidem id negatur, addi debere. Et ita quidem legitur apud Liv. 4, 3, 10. „En unquam creditis fando auditum esse, Numam Pompilium non modo non patricium, sed ne civem quidem Romanum cet. cet.", nulla, quae quidem ad nostram pertineat, lectionis varietate. Quo magis mirandum videri potest, si aliis locis omissa negatio est. Velut. l. l. quae continuo sequuntur: „L. Tarquinium non

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Romanae modo, sed ne Italicae quidem gentis cet.“ Et similiter I, 40, 2. „regnare Romae advenam non modo civicae (V. l. vicinae), sed ne Italicae quidem stirpis.“ 29, 19, 11. „ipsius etiam imperatoris non Romanus modo, sed ne militaris quidem cultus.“ In his locis Livius videtur negationem, quum ea utique addi et posset et deberet, tamen ad aliorum, ubi addi non potest, enuntiatorum similitudinem formato dicendi genere a formula „ne — quidem —“ ad prius vocabulum traxisse. Cicero quidem non addidit Verr. 2, 2, 29, 71. „Cognoscite hominis apertam ac non modo non ratione, sed ne dissimulatione quidem tectam improbitatem.“ Nam illorum longe diversa ratio locorum est, in quibus vel universalis enuntiatio negativa est, e. gr. Or. 71, 237. „nec in hac modo re, quae — — —, sed ne in maximis quidem rebus quidquam adhuc inveni firmius cet.“, — vel ad quendam quasi complexum verborum negatio posita est, ut is pro uno verbo finito habendus sit. Att. 2, 16, 2 extr. „qui mihi non modo praemiorum, sed ne sermonum quidem unquam fructum ullum aut gratiam retulerunt.“

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Romanae modo, sed n similiter I, 40, 2.
„regnare Romae advenam sed ne Italicae
quidem stirpis.“ 29, 19, anus modo, sed
ne militaris quidem cultu tionem, quum ea
utique addi et posset et de n potest, enuntia-
torum similitudinem formato dem —“ ad prius
vocabulum traxisse. Cicero 71. „Cognoscite
hominis apertam ac non m ione quidem te-
ctam improbitatem.“ Nam t, in quibus vel
universalis enuntiatio nega c in hac modo
re, quae — — —, sed quidquam adhuc
inveni firmius cet.“, — verborum negatio
posita est, ut is pro uno 2 extr. „qui mihi
non modo praemiorum, s fructum ullum
aut gratiam retulerunt.“

© The Tiffen Company, 2007
TIFFEN Gray Scale

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf